

No. 901. 1419. 18. Aug.

*B. Rudolph vereinigt zu Aufbesserung des geringen Einkommens der Custodie im Hochstift mit dieser das Pfarramt zu Niederebersbach.*

In nom. dom. amen. Etsi quaelibet pietatis opera etc. Hinc est quod nos Rudolffus dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis a nonnullis dominis et praelatis ecclesiae nostrae Misnensis luculenter informati, quomodo custodia dictae nostrae ecclesiae, quae officium censetur de nostra collatione existens, quam ex consuetudine praescripta vestigiis praedecessorum nostrorum inhaerendo uni de capitulo canonico integrato et emancipato et non alteri consuevimus conferre, plurimis oneribus ultra proventus eiusdem sit nimium onerata, scilicet cum observancia trium lampadarum, multorum cereorum per anni circulum pro decore domus domini a custode — procurandorum ac aliis multis oneribus super custodiam retortis, et qualiter redditus ipsius custodiae adeo sint tenues et exiles, cum quibus dicta onera custodiae nullatenus poterunt supportari, oblationes vero, quae ab olim ad custodiam pertinebant, propter paupertatem populi plurimum decreverunt, propter quae omnia vix aliquis in capitulo nostro reperitur, qui dictam custodiam habere velit eique praeesse. Fuit itaque nobis per venerabiles viros et dominos Johannem de Sliniez decretorum doctorem praepositum, Nicolaum de Heynicz decanum totumque capitulum — humiliter supplicatum, quatenus — pro oneribus ipsius custodiae supportandis de ulterioribus stipendiis ecclesiasticis providere ipsi custodiae dignaremur, et quod ecclesiam parrochiam in inferiori Ebirsbach, quae alias de nostra collatione existit, quam etiam uni de capitulo nostro canonico integrato et emancipato dumtaxat consuevimus conferre, praefatae custodiae cum omnibus proventibus redditibus iuribus et libertatibus ac attinentiis corporalibus et incorporalibus incorporare unire et annectere gratiosius dignaremur. Nos vero Rudolffus episcopus — per multiplices preces nostri capituli excitati dictam ecclesiam parrochiam in inferiori Ebirsbach cum agris cultis et incultis villis pratis pascuis molendinis nemoribus virgultis aquis aquarumque decursibus piscationibus censibus censitis redditibus proventibus obventionibus oblationibus decimis et cum aliis suis iuribus, utilitatibus libertatibus et pertinentiis corporalibus et incorporalibus universis quibuscunque censentur nominibus et in quibuscunque consistant rebus, quae eidem ecclesiae nunc insunt et inesse poterunt in futurum, memoratae custodiae ecclesiae nostrae Misnensis propter ipsius paupertatem notabilem praesentibus — auctoritate ordinaria — incorporamus annectimus et unimus per honorabilem virum dominum Stephanum Moir custodem nostrae ecclesiae modernum et omnes suos in custodia successores iure et vigore unionis huiusmodi tenendam — plenoque iure perpetuis temporibus possidendam, sic tamen, quod congrua portio pro presbytero dictae ecclesiae pro tempore deserviente de proventibus ecclesiae reservetur, iuribus episcopalibus pro nobis et nostris successoribus de iure vel consuetudine solvendis de praefata ecclesia semper salvis. Et ne tractu temporis oblivio — aliquem in praemissis vendicet sibi locum — hanc paginam desuper conscribi et sigilli nostri auctentici appen-